



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1611. usque ad annum 1617

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1777

VD18 90118898

§. 112. Bellum Hispanos inter & Sabaudiaë Ducem continuatum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67313](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67313)

Sæc. XVII. ut Mathias Imperator per aliquot dies
A. C. 1615. illum a colloquio arcere cogeretur, eum
 tamen, postquam ignoratæ consuetudini-
 nis excusationem prætendens, insolentia-
 suæ veniam petierat, liberum dimisit,
 ea tamen conditione, ut imperatorum ab
 ejusmodi protervia abstineret, seque ad
 mores in Aula Cæsarea receptos componeret,
 necnon Imperatoris responsum de rebus ab ipso
 propositis sed arduis quiete præstolaretur.
 At tamen Cæsar auctoritatem suam inter
 Moscos & Poloniæ Regem interponere
 renuit, unde totum pacis negotium Polonos
 inter & Moscos in irritum cecidit; simulque
 Tartari, qui Moscorum stipendia merebant,
 in Lithuaniam progressi omnia rapinis,
 & cædibus infesta reddidere.

§. CXII.

*Bellum Hispanos inter & Sabaudicæ
 ducem continuatum.*

*Ferrer. Hist.
 Hisp. cont.
 tom. II. p.
 219.*

Haud majori felicitate compositæ, pacatæque fuerunt res Insulicæ, ac Sabaudicæ; quamvis enim clades utrinque, sat frequentes, atque illustrium belliducum funeribus dolendæ, & ad extremum graveolentia cadaverum in campis & castris ad Astam Montferratensem urbem putrescentium luem attraxit-

Sæc. XVII.
A. C. 1615.

traxisset, nihilominus tam Hispani, quam Sabaudia Dux pacta Vercellensis pacis die sexta Novembris anno prioris inita minus religiose servabant, utraque parte ab armis discedere cunctante: Præterea Mathias Cæsar per Castillonensem Principem decretum Sabaudis transmisit, vi cuius ab armis cessare jubebatur, indicta proscriptionis poena: at Decreto hoc non parum quidem commotus Emanuel, belli tamen causam in Hispanos coniiciens, Cæsareum facialem captum detinuit. Inde vero fumantibus adhuc belli scintillis rursus hostiles concitantur tempestates, crebrisque ac cruentis utrinque velitationibus aliquamdiu pugnatum, donec tandem Sabaudus Hispanis numero inferior commisso prope Astam prælio profli-gatus esset: quocirca sollicitantibus Paulo V. Papa, & Ludovico Galliarum Rege, rursus ineunte Mense Decembri in urbe Astensi priores Vercellensis concordia leges innovatae sunt, conventumque, ut Sabaudus exercitum suum dimitteret, retento duntaxat eo milite, quem Savellus Papæ Nuntius, & Rambolietus Franciæ Orator ad urbium defensionem necessarium censuerint: vicissim Mediolanensis Gubernator Hispani Regis nomine promitteret, se Duci nullam vim ullo modo illaturum; si ve-

Sæc. XVII. A. C. 1615. ro promissis non staret, Papa & Franciæ Rex Sabaudia Ducis patrocini-
 fusciperent: pro ceteris vero controver-
 siis intra semestre componendis arbitros
 quisque suos eligerent, interim utrin-
 que occupata restituerent.

His conditionibus etiam Sabaudia Dux, qui compositioni difficiliorem hucusque sese præbebat, tandem subscripsit, ea permotus ratione, quod Franciæ Rex milites in Sabaudi favorem ullo in loco Regni sui conscribere prohibuisset, iisque militum delectus, quos Joannes Nassovius Comes ex omni sectarum colluvie conducere jussus erat, tardius procederent, insuper Dux sat compertum haberet, quod idem Comes a Fæderatis Ordinibus sub Sabaudi signis merere prohibitus, neglectis & temporis & itinerum compendiis, deditaque opera quæsitis ambagibus per Diæcesin Paderbornensem, & per Hassorum & Electoris Palatini terras tanquam in pompa suum duxisset exercitum, ac tandem omnino haud ita procul Argentina otiosus substitisset: quapropter Carolus Emanuel Sabaudia Dux conscribi porro militem prohibuit, & eoque conscriptum exauctorari jussit, ac dimitti, prospero futurae pacis augurio.

§. CXIII.

Sæc. XVII.
A. C. 1615.*Siburgense Monasterium, & oppidum ab Hispanis occupatum.*

Minus religiose servabantur pacis fœdera Xanti inter Neoburgensem & Brandenburgicum Duces inita; quamvis enim Jacobus I. Angliæ Rex nil intentatum relinqueret, ut Hispani hæc pacta rata haberent, nihilominus haud obscure deprehensum, quod Hispani ac præcipue Fæderati Ordines occupata loca, ac dictionis Juliacensis urbes restituere cunctarentur, ac alter in alterum hujus tergiversationis culpam coniicerent, etsi ambæ partes scriptotenus declarassent, quod illas nonnisi tanquam rogati sequestris retinere vellent; Erat quoque in hisce regionibus Abbatia quædam, Siburgensis dicta, quæ nondum præsidario milite firmata erat; ne igitur Hispani eam sibi vendicarent, Brandenburgicus Abbatem urgebat, ut se neutri parti adhæsurum declararet: cunctabatur ille aliquamdiu, alterutrius partis violentiam veritus; tandem vero nuntio ad Henricum Montensem Comitem misso, Hispanos ad arripiendam Monasterii oppidique possessionem accersebat. Hic igitur nulla mora cum exercitu trium millium equitum pedumque accurrens, Hispanum præsidium

Merc. Gallob. tom. 10. l. 4.